



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 110. Durantis de Durantibus Cardinalis fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. CX.

Sæcul. XVI.

A.C. 1557.

*Durantis de Durantibus Cardinalis
fata.*

Quintus denique hoc anno obiit Durantes de Durantibus Brixiae, quæ Brixienſis ditionis in Longobardia Metropolis eſt, die quinta Octobris Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octogefimo ſeptimo natus. Hic poſtquam ex humaniorum literarum ſtudio Jurisprudentiæ animum applicuiſſet, creatus eſt a Paulo III. ſecreti cubiculi aſſiſtens, ſeu Præfectus, & deinde ob morum candorem, literarum, & jurisperitiam, Algarenſis primo, teſte Ciaconio, mox Caſſanus Episcopuſ electuſ, ac paulo poſt ab eodem Papa, a quo ſummopere diligebatur, Presbyter Cardinalis SS. duodecim Apoſtolorum renuntiatus fuit die decima nona Decembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto: ſequenti autem anno Umbriæ, Camerinique Legatuſ de latere designatuſ, in qua legatione obeunda, ac negotiis illiuſ populi pertractandis tantam adhibuit moderationem, ac prudentiam, ut magnam ſibi apud omnes benevolentiam, atque affectum conciliaret. Huic eidem Eccleſiam Brixienſem poſt Andreae Cardinalis Cornelii mortem Julius

*Ciacon.**p. 703.**Aubery l. c.**Ughel. Ital.**Sacra Joan.**Franc. Flor.**in Catal.**Antiſt. Bri-**xien.**Hift. Eccleſ. Tom. XLII.*

M m Papa

Sæcul. XVI.
A.C. 1557

Papa III. commisit: demum vero Durantes ibidem in patria sua non sine maximo gregis sui luctu die vigesima quarta Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo e vita excessit, ibidemque in Ecclesia Cathedrali ante gradus aræ principis humatus fuit, ejusque cadaver anno millesimo sexcentesimo quarto repertum, atque in Corporis Christi capella depositum fuit cum sepulcrali inscriptione, seu epitaphio, ex quo manifeste eruitur certa obitus sui dies, quam mox indicavimus. Interfuit Pontificiis comitiis, in quibus ad summum Pontificatum Cardinalium suffragiis Julius III. & Paulus IV. eveci sunt.

§. CXI.

Quorundam Doctorum obitus.

*Thuan. l. 19.
versus finem
Gesner in
Biblioth
La Croix du
Maine &
Verdier
Vauprivas,
Bibl. Franc.*

Inter Scriptores Catholicos, qui hoc item anno mortalitatem exuerunt, primus recensetur Petrus Rebuffus Presbyter, ævoque suo inter Jurisconsultos facile celeberrimus. Hic circa annum Domini millesimum quingentesimum in quodam Occidaniæ oppido prope Montem Pessulanum natus longo admodum tempore Canonice jurisprudentiæ præcepta Divonæ Carducorum, & Parisiis, ubi etiam Sacerdotio initiabatur, necnon Pictavii, & Biturigibus tradidit,

ac